

tum expugnata à Balduino Hierosolymorum rege, suppetis Genuensium, Genuani relatum, licet Hispanorum historiæ ex Almeria Beticæ Hispaniæ urbe transvectum perhibeant. Infra eandem Ecclesiam prope facellum beati Iohannis Baptiste infixa columnæ est ænea tabula vetustissima, literis majusculis incisa, inventa prope Genuam in valle Porcifere amnis, ad jugi radices, anno humanæ salutis MDVI, cuius exemplum in gratiam studiosorum Antiquitatis, nulla littera addita, detractave, adscribam. Sententiam esse appetit Romanorū antiquissimam, fines Genuensis agri terminantem:

*Exemplum
ænea tabu-
la Genuæ.*

Q. Mutius Q. F. Rufus de controversiis inter Genuateis & Veiturios in re præsente cognoverunt: & coram inter eos controversias composciverunt: & qua lege agrum possident, & qua fineis fierent, dixerunt eos fineis facere, terminosque statui joserunt: ubi ea facta essent Romam coram venire joserunt. Romæ coram sententiam ex Senati Consulto dixerunt Erid. Decemb. L. Cæcilio. Q. F. Q. Mutio, Q. F. Cos. Qua ager privatus Gasteli Veituriorum est, quem agrum eos vendere heredemque sequi licet: is ager vœtigal nei siet. Langatium fineis agri privati ab rivo infimo, qui oritur ab fonte in Manicelo ad flovium Edem ibi terminus stat. Inde flovio fuso sursum in flovium Lemurim. Inde flovio Lemuri sursum usque ad rivom Gomberane. Inde rivo Comberanea sursum usque ad convalem Cæptiemam, ibi termini duo stant circum viam postumiam. Ex eis terminis recta regione in rivo Vindupale. Ex rivo Vindupale in flovium Neviascam. Inde dorsum flovio Neviasca in flovium Procoberam. Inde fluvio Procobera deorsum usque ad rivum Vinelascam infumum: ibei terminus stat. Inde sursum rivo recto Vinelesca: ibei terminus stat, id est, propter viam postumiam. Inde alter trans viam postumiam terminus stat. Ex eo termino quei stat trans viam postumiam recta regione in fontem in Manicelum. Inde deorsum rivo quei oritur ab fonte in Manicelo ad terminum quei stat ad flovium, Edem ageri publici, quod Langenses posident: hisce finis videntur esse: ubi confluont Edus & Procobera ibei terminus stat. Inde Ede flovio surfovorum in montem Lemurino infumo: ibei terminus stat. Inde sursum vorsum jugo recto monte Lemurino: ibei terminus stat. Inde sursum jugo recto Lemurino: ibei terminus stat in monte Procævo. Inde sursum jugo recto in monte Lemurinum summum ibi terminus stat. Inde sursum jugo recto in castelum, qui vocatatur Alianus, ibei terminus stat. Inde sursum jugo recto in montem Loventionem ibi terminus stat. Inde sursum jugo recto in montem Apenninum, quei vocatur Boplo ibei terminus stat. Inde Apenninum jugo recto in montem Tuledonem ibei terminus stat. Inde deorsum jugo recto in flovium Veraglascam montem Berigenam infumo ibei terminus stat. Inde sursum jugo recto in montem Prencum ibi terminus stat.

Italia.

*Immani-
cello.*

Vind.

*Immani-
cello.*

*Lorentio-
nem.*

Berigenia.

Inde deorsum jugo recto in flovium Tuleascam ibi terminus stat. Inde sursum jugo recto Bluskiemelo in montem Claxelum ibi terminus stat. Inde deorsum in fontem Lebriemelum ibi terminus stat. Inde recto rivo Eniseca in flovium Procoberam ibi terminus stat. Inde deorsum in flovium Procoberam ubei confluont flovi Edus & Procobera ibei terminus stat. Quem agrum poplicum judicamus esse: eum agrum Castelanos, Langenses, Veiturios posidere fruique videtur oportere: pro eo agro vœtigal Langenses Veituris in poplicum Genuam dent in annos singulos V I C. N. C C C. Sei Langenses eam pequiniam non dabunt neque satisfacient arbitratu Genuatium, quod per Genuenses mora non fiat quo setius eam pequiniam accipiant, tum quod in eo agro natum erit frumenti partem viceniam vini partem sextam Langenses in poplicum Genuam dare debento in annos singulos. Quei intra eos fineis agrum posedet, Genuas aut Viturius quei eorum posedit K. Sextil. L. Caicilio. Q. Muutio Cos. eos ita posidere colereque liceat, eus quei posidebunt vœtigal Langensibus proportione dent: ita ut ceteri Langenses quei eorum in eo agro agrum posidebunt fruenturque. Præterea in eo agro ni quis posideto nisi de maiore parte Langensium Veituriorum sententia: dum ne alium intromitat nisi Genuatem aut Vieturium colendi causa. Quei eorum de maiore parte Langensium Veiturium sententia ita non perebit: is eum agrum nei habeo neive fruimino. Quei ager compascuos erit: in eo agro quo minus pecuascere Genuates Veituriosque liceat ita ut ei in cetero agro Genuati compascuo ne quis prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque sumant utanturque. Vœtigal anni primi. K. Ianuaris secundis Veturis Langenses in poplicum Genuam dare debento. Quod ante K. Ianuaris primas Langenses fructi sunt eruntque vœtigal invitei dare nei debento. Prata quæ fuerunt proxima fænisci L. Cæcilio. Q. Muutio Cos. in agro poplico quem Vituries Lagenses posident: & quem Odiates & quem Dectunes & quem Cavaturines & quem Mentonines posident: ea prata invitatis Langensibus & Odiatibus & Dectuninibus & Cavaturines & Mentonines quem quisque eorum agrum posdebit invitatis eis ni quis sicut: nive pascat: nive fruatur. Sei Langenses aut Odiates aut Dectunes aut Cavaturines aut Mentonines manent in eo agro alia prata inmitere defendere sicare, id uti facere liceat dum ne ampliorem modum pratorum habeant quam proxuma æstate haberunt fructique sunt Vituries. Quei controversias Genuensium ob injurias judicati aut damnati sunt, sei quis in vinculeis ob eas res est: eos omneis solvei mittei liberarique Genuenses videtur oportere ante eidus Sextilis primas. Si quoi de ea re iniquom' videbitur esse, ad nos ad eant primo quoque die & ab omnibus controversieis bono publ. li. leg. Moco. Meticanio Meticoni. F. Plancus Peliani Pelioni F:

P

Hacte-